

Plinio N.H. I. 33. c. 6. derivant ex *μετα'* post, & *ἄλλον*, aliud, qvia ubi-  
cunque una inventa est vena, non procul invenitur alia: hinc *μεταλλαῖον*  
scrutor, diligenter inqviro, wie man mit der Wündschel-Kuthe die  
Gänge ausrichtet / und derselben Streichen und Stunde durch den  
Compass erforschet. Neqve tamen heic prætereunda est ista allusio,  
qam Zehnerus in Similitud. Bibl. p. m. 3. exprimit, *μεταλλον* scil. ac  
*μεταλλαι* à radice Syriacâ מַתָּה parabolam proposuit, deducens:  
*μεταλλαι* enim, inquit, est studiosè & curiosè inqvire, qvali perve-  
stigatione cumprimis in explicatione similitudinum opus est, qvod  
Syracides docet c. 39. v. 2. 3. ἐν σφράγις παραβολῶν συνεισελέυσεται,  
καὶ τὸν αἰνίγματον παραβολῶν ἀνατραφήσεται. Altera compositionis  
pars *εργα*, extra compositionem non occurrit. significat idem ac *ἔργον*,  
opus, ubi κατ' εξοχὴν huc quadrat derivatio, qvā aliqui illud deducunt  
ab *ἔργῳ*, terra, ut sit quasi *ἔργον* qvōd post mundum condi-  
tum primus labor terræ excolendæ fuerit impensus. Germanicè Berg-,  
Iveræ.

§. IO. Est autem Metallurgia alioqvi vocabulum satis ambi-  
guum, idqve propter metallum. Ulti enim hoc apud Romanos adje-  
ctō verbō, pœnæ species erat servitutem irrogans atqve libertatem adi-  
mens, ut ex Jure Romano constat; sic etiam ipsa metallurgia hu-  
jusmodi civilis mors dici poterat, qvam *μεταλλοργεῖς* h.e. ad metallum  
damnatos subire oportebat. Qvā pœnâ servi in subterraneis  
specubus tanqvam à communi luce semoti, & ceu vivi sepulti, sæpè fa-  
me, labore, vapore atqve ruina necabantur, qvod Ægyptiorum inven-  
tum dicit Anastas. à valle quietis *Face histor.* Lipsii Admir. l.2. p. m. 455.  
Hoc modō etiam crudelitas Arrianorum erga Christianos Catho-  
licos exercebat: qvanqvam aliàs non unius generis fuerit. Siqvi-  
dem aliam leviorem, aliam atrociorē fuisse historiæ tradunt, hoc  
discriminis inter damnationem in metallum h.e. metallurgiam, & inter  
opus metalli sive metallurgiæ facientes, ut illa gravioribus malis; hæc  
lenioribus condemnatos presserit. qvæ tamen acceptio neutiqvam hu-  
jus loci est.

§. II. Deinde sicuti Physici metalli nomine omnes septem  
species, ut vulgò numerantur, comprehendunt, suamqve distinctio-  
nem inter perfecta & imperfecta metalla non observant, nomen hoc